



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

28. Quid sit de illorum, qui non habentes nisi vnam hostiam, quam consecrant, sumunt vnam partem in sacrificio, & alteram reseruant ægro pro viatico?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

ideo motus fuit Maior vt diceret, non esse ibi corpus Christi, quia particula illa tam exigua non possent à ministris distribui & dispensari.

R. Non frustra ibi esse; potest enim à ministro sumi, & frequenter contingit huiusmodi etiam minores particulas ab hostia excidere, quando in altari super patenam frangitur, &c. Sed (vt diximus) canere debet pastor, ne cuiusquam importunitate ad huiusmodi diuisionem deueniat, vt particulas diuisas non possit reuerenter vel ipse sumere, vel aliis ministrare.

### Q V Æ S T I O XXVIII.

*Quid sit de illorum, qui non habentes nisi vnam hostiam quam consecrant, sumunt vnam partem in sacrificio, & alteram reseruant agro pro viatico.*

Quaestionis explicatio.

**C**Asus est talis. Pastor post consecrationem panis & vini vocatur è missa ad peste infectum pro viatico: Ille existimat & recte, se non debere in eodem sacrificio bis consecrare panem, quapropter partem hostiae consecratae reseruat deferendam ad agrotum pro viatico, & in altera perficit sacrificium: quid de hoc modo censendum est?

*Responsio.*



## Responsio.

Videtur quoque tolerari posse. Ita (a) Paludanus: Probatum primo, quia pastor hoc modo satisfacit subdito, neque ullam iniuriam irrogat sacramento. Secundo exemplo D. (b) Basilii, qui dicitur diuisisse panem sacram in tres partes, vnam sumpsisse, alteram inposuisse columnæ aureæ super altare, & postea moriturus tertiam partem accepisse, & Deo spiritum reddidisse. Postremo, quia videtur aliquando talis viguisse in ecclesia consuetudo, nam vt notat Paludanus, cum olim seruaretur tertia pars hostiæ vsque ad finem missæ, videtur seruata fuisse ad communicandum alios.

Dices: Gelasius (c) Papa scribens Maiorico & Ioanni Episcopis, arguit quosdam, qui in sacrificio integra sacramenta non sumebant, & mandat vt vel integra sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur: ergo non debet hic modus dispensandi tolerari.

R. Pontificem ibi arguere quosdam, & merito, qui in sacrificio alteram tantum partem, videlicet corporis Christi accipiebant, & ab altera, videlicet cruoris sacri, abstinebant, qui longe diuersi sunt ab illis, qui vtramque partem sub vtraque specie sumunt, sed vnam particulam alterius spe-

Aa .3 .cici

a in 4 dist. 12  
q. 1. artic. 5.  
concl. 2.

b apud Am-  
philoch. in  
vita.

c de consecr.  
dist. 2. c. com-  
perimus.



374 DE NECES. ET MOD. MINIST.  
cici pro ægro referuant, vt ex antedictis fa-  
cile colligi potest.

QVÆSTIO XXIX.

*Quid sit de illorum qui non habentes hostiam  
consecratam, porrigunt non con-  
secratam?*

Quæstionis explicatio.

**S**ECUNDUM communem Theologorum  
multipliciter potest manducari corpus  
Christi; subinde enim manducatur spiri-  
tualiter tantum vel sacramentaliter tan-  
tum, vel sacramentaliter & spiritualiter si-  
mul, quæ vt nota præsupponimus. Eue-  
nit casus, pastorem non habere hostiam  
consecratam, rogari nihilominus vt ipse  
sacramentale viaticum peste correpto de-  
ferat, ipse, vt vitet scandalum, existimat se  
posse deferre hostiam non consecratam, &  
ægrum, si non sumat sacramentale viati-  
cum, recepturum saltem per fidem & de-  
uotionem spirituale, & sic illi hostiam non  
consecratam ministrat; quæritur quid cen-  
sendum de hoc modo ministrandi?

*Responsio.*

*q. dist. 13.*

**E**ST reprobandus, neque vlllo modo to-  
lerandus. Ita omnes (a) Theologi in Ma-  
gistrum